1496 29/III

Johannes Albertus rex Poloniae

Civitati Wieliczka quoddam privilegium

confirmat

Johannes Albertus Dei gracia Rex Polonie Supremus dux Lithuanie Russie Prussieque dominus et heres etc.
Significamus tenore presencium quibus expedit universis Quomodo pridem coram nobis controversia nobis tunc in Cracovia
existentibus inter Opidorum nostrorum Wyelicien et Osswyanczimien Consules et eorum communitates pro depositorio Salis in Osswian
czym de qua iure literas et decretum Serenissimi principis domini Kazimiri felicis memorie Regis Polonie et Genitoris antecessoris
que nostri carissimi habebant Quas coram nobis produxerunt exhibuerunt Nos que viso decreto prefato satis sufficienti eosdem Cives nostros
illuc existentes in eodem conservavimus et confirmavimus conservamusque et confirmamus presentes litera vigore Ut Opidani Wyelicien
vehentes sal ad Osswyanczimien depositorium illuc Sal predictum ad certum per tres dies immediate se sequentes intraneis et extra
neis hominibus vendere et si quid superfuerit quod per predictos tres dies vendere non possent id in cellario sive depositorio Salis
deponere debent aliis diebus fori sequentibus vendenda atque ad beneplacitos usus convertenda salvis tamen salariis Consulum Osswyanczimien
que a cantarulo salis iuxta decretum olim Serenissimi Genitoris nostri solvere consueverant Ideo tibi Generoso Johanni Schwenker
de Raczyborzany Capitaneo nostro Osswyanczimien Mandamus omnino habere volentes quatenus prefatos Cives nostros de Wyeliczka iuxta
decretum Serenissimi olim Genitoris nostri quod habent et nostrum iuxta quod illos remansimus conservet et conservari facias illosque
tuearis ac defendas Gracie nostre sub obtentu aliter non facturus Harum quibus sigillum nostrum est subappensum testimonio literarum
Datum in Conventione Pyotrkowien generali feria tercia proxima post dominicam Ramispalmarum Anno domini Millesimo quadringentesimo
nonagesimo sexto Regni vero nostri anno Quarto

Creslaus E et R p cancell

Relatio Reverendi in Christo patris domini Creslai
Episcopi Wladislaviensis et Regni Polonie cancellarii

Confirmatio super depositum salis in Osswyanczym

[illegible] ad Acta ~~[illegible]~~

die 17 Junij

Oblata et remissa in Conventione Regni generali Lublinensi

52 Visum privilegium Joannis Alberti super depositum in Oswiecim [illegible] A. 1496

Numero 4to

in Oswyecim depositorium

N. [illegible]

1496 drukowany w Nº 30 Dod. z r. 1868